



Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Subsidia

Bellecius, Aloysius

Ratisbonæ [u.a.], 1755

§. II. Utilitas.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55547](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55547)

§. II.

Sacri secessus utilitas.

I. **N**Ullum est dubium, quin nobis
 sacram spiritus collectionem bene obituris conferendæ sint innumera & primi ordinis gratiæ, sublimes æternarum veritatum cognitiones, divinæ circa nos voluntatis agnitiones, coelestes instinctus & illustrationes, efficaces impulsus ad bonum ac victrices animi motiones; quæ omnia negabuntur eam neglecturis, vel tepidè peracturis, cum irreparabili jactura ingentium meritorum in hac vita & graduum gloriæ in altera.

I.
 Maxima hanc esse demonstrant plurimæ per eam gratia tum nobis,

Si diducto nonnihil velo, Supremæ Illius Mentis decreta furtivo obtutu inspicere daretur, fors cerneremus longam auxiliorum feriem aureæ instar catenæ à brevi ejusmodi solitudine felici nexu dependere; & qua frustrabimur, si eam omiserimus, vel ei solùm obiter nos impenderimus. Fors conspiceremus arduum aliquem virtu-

ris gradum, aut quandam singularem gratiam tali triduo annexam; & quam, hac occasione neglecta, haud amplius obtinebimus.

Si ejusmodi sacro secessui rite vacaturis promitteretur illustre quoddam officium, aut dives honorarium, vel aliud quodpiam superbiæ aut amoris proprio blandiens oblectamentum; si illo, quem Numen tunc exigit, fervore molestum quendam morbum aut gravem infamiam depellere possemus, ô! quo ardore hos dies negotiorum maximo consecrarem?

Et en! DEUS spondet immensa, sempiterna, & dona infinite pretiosiora; fugare licebit lethalem illum mentis languorem, vitare ingentem illum sub finem mundi subeundum pudorem. Quàm probrosum ergo foret, si solùm in his etiam religiosa torperent corda, quæ ad terrena tam vivida sunt & prompta?

O Religiose! plures mundani homines, si illis potens hoc remedium
con-

concederetur, ad excelsum perfectionis apicem eluctarentur; plurimi tuorum fociorum talis tridui tempore magnis é coelo favoribus ditabuntur. Quid ergo respondebis Divino Judici? quid his ipsis, olim in iudicio te accusaturis, & hujus adjumenti abusum exprobraturis?

Cave, ne si instar illius ficulneæ (b) tua sterilitate coelestis Patrisfamilias operam iteratò ludas, tandem vindici dextra exscindaris. Pluribus id jam evenisse fasti testantur. Tu aliis haud melior. Proin time; nam DEUS impunè non lacescitur; Illius enim Justitiam irritat, qui Misericordiam spernit; & ultrices tenebras provocat, Illius qui lumina respuit.

O Domine! es *terribilis in consiliis super filios hominum.* (c) Hinc jure vereor, ne talis secessus sit etiam mihi *positus in ruinam.* (d) Id ne fiat, Te adjuvante, serio illi vacabo; à iudicis

X 5

ciis

(b) Luc. 13, v. 8. (c) Psal. 65, v. 5. (d) Luc. 2, v. 34.

ciis enim tuis timui; (e) qui autem
timet, nihil negligit. (f)

II. Forsitan à tali animi collectione
Tum aliis rite peracta, dependet vocatio tua ad
obtinenda. opus aliquod valde excellens, pro glo-
ria DEI patrandum. Fortè correctio
quorundam peccatorum non aliter
acquirenda. Fors singularis quædam
unctio, quam coelum tuis verbis in
sacro tribunali & suggestu dabit, aliàs
neganda. Sicut enim DEUS cer-
tis quibusdam remediis, temporibus,
locis; ita non rarò certis etiam per-
sonis aliorum salutem adorando con-
silio alligare consuevit, non per alios
quàm per hos speciatim homines ope-
randam.

Sic Divina Providentia conversio-
nem Japonum affixisse videtur personæ
Xaverii, forsitan per nullum alium
quàm per illum effectui dandam; ei-
que affixisse ob illam sanctitudinem,
cujus is fundamentum posuit in illis,
queis ipsum Ignatius excoluit, exerci-
tiis;

(e) Psal. 118. v. 120.

(f) Ecclæ, 7. v. 19.

tiis; & quæ si oscitantiùs obivisset, nunc credibiliùs Japoniæ Apostolus non audiret. Certè plurimas efficaces gratias cœlum non paucis auditorum concessisse legimus ob sanctimoniam concionatorum, e. g. SS. Vincentii Ferrerii, Antonii de Padua, Francisci Regis aliorumque plurium, non conferendas, si hi paucioribus virtutum radiis luxissent.

Si enim multorum infantium semperpiterna felicitas parentum suorum probitati annexa est ita, ut illi ob solam non rarò horum culpam sacri fontis beneficio priventur; (g) cur verosimile non sit, à quarundam personarum perfectione aliorum quoque beatitudinem tacito subinde nexu dependere?

Porro vix dubium esse potest, quin summus rerum Moderator, consideratis tuis tot insignibus talentis, vocationis

(g) S. Prosper lib. 2. de vocatione gent. c. 23. ubi sic: *qua gratia si bene eorum parvulorum uterentur parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.*

tionis excellentia, remediorum copia & efficacia æternam plurimum felicitatem tuæ sanctitati alligârît, qui non aliter nisi per te astris inferentur. Fortitan brevis ejusmodi secessus est criticum illud tempus, quo (nisi obstiteris) tibi is necessarias ad id gratias conferre decrevit.

Quàm severa igitur ratio tibi reddenda foret, si ob pravos mores, per talem solitudinem non correctos, ineptum te redderes, quo DEUS cum tempore tanquam instrumento utatur ad procurandam aliorum salutem. Quàm infelix esses, si ob continuatum etiam ejusmodi triduo languorem, zelotypum Numen, te abjecto, alium eligeret, quo deinceps tui locò, in reducendis peccatoribus, ministro & adjutore gloriatur. Si ob appetitum non domitum, ob superbiam non repressam, ob commodorum studium non frenatum; si ob respectum humanum, vanam gloriolam, carnis illecebras, sensuum oblectamenta salvandæ aliàs per te animæ, sempiternis ignibus manciparentur.

Quàm

Quàm gravem vindictam de te essent expetituræ hæ ipsæ animæ tuo vicio perditæ : sanguis Christi in eisdem tua ignavia frustratus: custodes Angeli, quorum clientes, tuo tepore cœlo exclusi, tartareis in flammis æternùm gement. Enimvero si hæc te ad sectandam seriò virtutem, & quidem nunc statim per instituendam collectionem, sectandam non movent, indignus es, quem ille Ordo sinu foveat, qui pro fine præcipuo alienam quoque salutem sibi præfixam habet.

O cordium fortis zelotes DEUS!
 (h) en! victas do manus. Fixum est paucorum dierum impendio redimere tot perditos miserè annos. Morem gerens Isaïæ monitis, *intrabo in cubiculum meum: claudam ostium meum super me: abscondar modicum ad momentum*, (i) ut ibi concepto ardore liquefiat propriæ mentis gelu, ne fors alii ob illud cogantur *habitare cum ardoribus sempiternis*. (l) Væ enim mihi!

(h) Exod. 20. v. 5. (i) Isa. 26. v. 20.
 (l) Isa. 33. v. 14.

hi! si per meum languorem, quem tali triduo expellere potuissem, aliorum ruinæ occasio forem. O Domine! quàm timendum mihi esset, ne justus ultor repetas *animam pro anima*, (m) & disperditum in aliis Christi *sanguinem de manu mea requiras*. (n)

III.
Nec non
ingens o-
lim solati-
um inde
haurien-
dum.

III. Ejusmodi sacro secessui bene vacasse summo olim solatio erit; magno etenim metu aliàs subeundo nos liberabimus. Nam, *cui multum datum est, multum quæretur ab eo*: & *cui commenderunt multum, plus petent ab eo*. (o) Pro mensura auxiliorum crescit etiam rigor reddendæ rationis. Cui data fuerant quinque talenta, iisdem lucrari debuit alia quinque; minùs si egisset, *servus piger audiisset*. (p)

Nova ejusmodi per triduum solitudo nova est gratia; veritates per ejus decursum proponendæ nova sunt talenta. Væ ergo nobis, si illa uti, cum his negotiari neglexerimus; mag-
nam

(m) Exod. 21. v. 23. (n) Ezech. 3. v. 18.
(o) Luc. 12. v. 48. (p) Matth. 25. v. 26.

nam id morituris moestitiam afferet; contra verò quanto mentem gaudio perfundet felix recordatio illius fervoris, quo illi nos impenderimus!

O si aureum ejusmodi triduum concederetur his vel illis N. N. olim notis, qui nunc in purgantibus flammis ardent, & fors ob has ipsas collectiones quondam tepidiùs à se peractas ardent; quo ardore eam essent obituri! quantopere nunc dolent, se hoc *tempus acceptabile* (q) negligentius coluisse!

Hos *dies salutis* (q) oscitantius transgisse, etiam nos aliquando & fors opinione citius in lustrico carcere deplorabimus. Ergo poena dignissimi sumus, nî nunc faciamus, quod tunc neglexisse tantopere lamentabimur. Fortè enim *securis jam ad radicem posita est*; (r) fors ultima hæc animi collectio est; cùm plurimos jam præmatura falce post hyemalem aut æstivam ejusmodi solitudinem mors sustulerit, qui-

(q) 2. Cor. 6. v. 2. (r) Luc. 3. v. 9.

quibus corporis vires canam senectutem promiserant. Ergo si sapimus, id nunc providi agamus, quod tunc omisisse dolori, egisse solatio erit.

O Domine, ne permittas, ut illud ipsum remedium, quod tot aliis jam fuit, & etiamnam erit adjumentum magnæ perfectionis, mihi sit occasio majoris derelictionis; indeque fugam mortem, unde alii vitam. Da, ut tandem tibi *vivam paululum*, qui hactenus *seculo vixi totum*; ut dem *anima* pauculos saltem *dies*, qui hucusque fovendo *corpori* menses & annos prodegi. (s) Ah! fors *tempus non erit amplius*, (t) presentes si gratiæ horas salutis prodigus neglexero.

Fixum proin est, unico & summi momenti negotio tota mentis contentione per triduum vacare, ac non nisi *dies antiquos annosque aternos* mente revolvere; (u) ad omnia, quæcunque te velle cogovero, exequenda paratus.

(s) Petr. Chrysol. serm. 12. (t) Apoc. 10. v. 7. (u) Psal. 76. v. 6.

tus. Itaque *vias tuas demonstra mihi,*
& semitas tuas edoce me. (x) Notam
 fac mihi voluntatem tuam, *ut sciam,*
quid desit mihi; (y) quodque dederis
 velle, da & perficere.

§. III.

*Documenta ejusmodi collectionem
 sperato cum fructu transigendi.*

Postquam generosum firmumque
 decretum concepimus, solitariæ
 pietati dies aliquot consecrandi, quos
 corrigendis moribus sedulo impenda-
 mus; omnesque eo tempore animi
 vires intendendi, ut divinæ gratiæ
 pro virili respondeamus, duo decla-
 randa supersunt, 1. quando, 2. quomo-
 do ejusmodi spiritûs collectio sit in-
 stituenda.

I. Ad tempus quod attinet huic ne-
 gotio dedicandum, illius cumprimis
 ratio habenda erit, quo nos singula-
 riter impelli, & ad sacram ejusmodi

1.
*Quando
 sit institu-
 enda?*

Pars II.

Y

foli-

(x) Psal. 24. v. 4. (y) Psal. 38. v. 5.